



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente  
XI. editas

**Luxemburgi, 1739**

Anno Septimo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)



1706.  
& 1707.

per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Provinciæ, & Ordinis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die IX. Octobris MDCCVI. Pontificatus nostri Anno Sexto.

LXVIII.

Declaratur nullum Edictum Archiepiscopi Goan. contra jurisdictionem Commissarii, & Visitatoris Apost. in Sinarum, & aliis Indiarum Oriental. Regnis.

*Declarata fuerunt nulla acta a Generali Inquisitore aliisque contra Episcopum Carthaginensem. Const. ed. 1706. Jan. 19. P. 6. Et Const. ed. 1711. Mar. 15. P. 11. declarantur nulla acta ab Episcopo Macanen. adversus Commissarium Sinarum.*

Dat. 1. Jan.  
1707. An. 7.

## CLEMENS PAPA XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

Carolus Patriarcha Antiochen. electus fuit Commissarius, cujus censura adversus nonnullos Religiosos promulgata, nullæ declaratae fuerunt prædicti Edicto ab Augustino Archiep. Goan.

Cum nos alias pro commisso Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, etiam ad remotissimas ab hac Sancta Sede Regiones Pastoralis vigilantia nostræ curam extendentes per quasdam nostras in simili forma Brevis literas Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum nostrum, & Apostolicæ Sedis Commissarium, & Visitatorem in Sinarum, & aliis Indiarum Orientalium Regnis cum potestate, etiam nostri, & ejusdem Sedis de Latere Legati, ac diversis, & amplissimis facultatibus constituerimus, & deputaverimus, & alias prout in prædictis nostris die 4. Julii 1702. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro expresse, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur. Et (sicut nuper non sine gravi animi nostri dolore accepimus) postquam idem Carolus Thomas Patriarcha Commissarius, & Visitator in Dicecesi Melioporen. debita, ut par erat reverentia a venerabili pariter Fratre Gaspare Alphonso Episcopo Melioporen. recognitus, & exceptus fuerat, ac justis, & rationabilibus causis adductis, censuras quasdam Ecclesiasticas in eadem Dicecesi contra nonnullos Regulares promulgaverat, Edictum quoddam sub nomine venerabilis, etiam Fratris Augustini ab Annunciatione die 22. Decembris 1704. editum prodierit, & subinde in quibusdam Oppidorum, seu locorum Madraspatani, & Pudiacherii Ecclesiis, & forsan alibi publicatum fuerit, quo sub variis, frivolis, ac profusis insubstantibus prætextibus censura prædicta ab eodem Carolo Thoma Patriarcha Commissario, & Visitatore, sicut præmittitur, promulgata, inaudito ausu, nullæ declarantur, ipsique Regulares ad Sacramentorum Ecclesiasticorum administrationem admittuntur, nec

non omnibus, & singulis tam Ecclesiasticis, quam Laicis mandatur ne ipsi Carolo Thomæ Patriarchæ Commissario, & Visitatori obediant, aut dictas censuras vereantur, ac insuper eisdem Carolo Thomæ Patriarchæ Commissario, & Visitatori, in verso sane pœnarum per Canonicas sanctiones irrogatarum usu sub excommunicationis pœna inhietur, quo minus jurisdictionem suam libere exerceat, aliaque temere præcipiuntur, atque ordinentur in gravissimum Apostolicæ auctoritatis, qua idem Carolus Thomas Patriarcha Commissarius, & Visitator nostro, & dictæ Sedis nomine in illis partibus fungitur contemptum, præjudicium, & detrimentum, & alias, prout in præfato Edicto, quod non approbandi, sed penitus, & omnino reprobandi animo, præsentibus itidem pro plene, & sufficienter expresse, & de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius dicitur contineri. Hinc est, quod nos ex debito Sacrosancti Apostolatus officii, quod humilitati nostræ meritis licet, & viribus longe impari commisit divina dignatio, ejusdem Caroli Thomæ Patriarchæ, Commissarii, & Visitatoris, seu potius nostram, & dictæ Sedis dignitatem, auctoritatem, & jurisdictionem a temerariis, & perniciosis hujusmodi conatibus illæsas, factasque, & tactas tueri, & conservare cupientes, ac omnium, quæ prædicti Edicti, seu in eo contentorum occasione quovis modo acta, & gesta sunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, aliave quæcumque, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia præsentibus, pariter pro plene, & sufficienter expressis, & exacte specificatis habentes, de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandæ Fidei negotiis præpositæ super rebus Indiarum Orientalium a Nobis specialiter deputatorum consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, prænarratum Edictum, & quæcumque in eo contenta cum omnibus, & singulis inde secutis, & forsan quodcumque secuturis penitus, & omnino nulla, inania, invalida, irrita, temeraria, attentata, & de facto præsumpta, nulliusque omnino roboris, & momenti esse, & perpetuo fore tenore præsentium declaramus; & nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus sit illa omnia, & singula motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, & abolitis, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuis semper haberi debere decernimus, & pariter declaramus.

§. 1. Decernentes etiam easdem præsentibus literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod prædictus Augustinus Archiepiscopus, & alii quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes cujusvis status, gradus, Ordinis, præminentia, & dignitatis existant, seu alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non conferant, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causæque propter quas præsentibus emanant sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissima, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, aut incogitato, & incogitabili indivi-

duamque

Causæ sequentis declarationis.

Declaratio nullitatis, Edicti, omniumque actorum ab Archiep. Goan.

Clausula.



duamque expressionem, requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere; ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari.

§. 2. Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis prædictæ Nuncios, aliosve quolibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis ac quatenus opus sit nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quasito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Metropolitanæ Ecclesiæ Goan., & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, ac usibus, & stylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis quibusvis personis etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & quomodolibet qualificatis, ac Ecclesiis, & locis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter concessis, ac pluries, & quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis alias in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die 1. Januarii MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Confirmatur Decretum Congregationis Episc. & Regular. de forma eligendi Generalem infra Triennium in Congregatione Monachorum Montis Oliveti.

De electione Abbatum Titularium extat Clem. X. Const. ed. 1671. Feb. 27. P. 1. Et ejus derogatio in parte hujus Pontificis Const. ed. 1713. Apr. 12. P. 13.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

**A**lias pro parte dilecti filii Abbatis Roselli Procuratoris Generalis Congregationis Monachorum Montis Oliveti Ordinis S. Benedicti Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod jamdudum in dicta Congregatione Montis Oliveti ad evitandas expensas, quæ in celebratione Capituli Generalis Congregationis hujusmodi fieri solebant, dum infra triennium Abbatis Generalis Congregationis præfate Officium vacare continebat, certus numerus vocalium, qui electioni hujusmodi interesse debebat, præfixus (numquam tamen ab eadem Congregatione Cardinalium confirmatus) fuerat, quemadmodum pro derogatione novissimæ Constitutionis ea super re emanatæ §. Si autem infra triennium ob mortem &c. expresse requirebatur, imo ab ultimo Capitulo Generali dictæ Congregationis Montis Oliveti re melius discussa, & considerata ejusdem electionis modus prorsus abolitus remanserat, & pro illius libertate magis conveniens existimatum fuerat, ut Capitulum Generale prædictum in hunc modum convocaretur, videlicet.

Primo, quod prævia Vicarii Generalis intimatione faciendæ Capitulum Generale hujusmodi semper in Monasterio Montis Oliveti majoris convocari, ibique electio novi Abbatis Generalis intra terminum trium Mensum fieri debeat.

Secundo, ut in supradicto Capitulo Generali Vicarius Generalis, Visitatores, Procurator Generalis actu existentes, Abbates, Exgenerales, Vicarius Exgeneralis, & Visitatores antecedentis Diffinitorii, & unus Monachus in Diffinitorem a familia ejusdem Montis Oliveti majoris, forma hæcenus usitata eligendus votum, sive suffragium ferant; Unde exceptis Abbatibus Exprovincialibus sexdecim in totum erunt Vocales.

Tertio, quod cum una Provincia uno ex duobus Visitatoribus destituta remaneat, Abbas antiquior in eadem Provincia, deficientibus vero prædictis duobus Visitatoribus, duo Abbates antiquiores in eorum locum respectively succedant.

Quarto, quod Scrutatores, qui in hoc Capitulo Schedulas electionis Abbatis Generalis colligere, signare, & legere debeant, sint tres, qui ex numero novissimi Diffinitorii forte extrahantur.

Quinto, quod pro expensis prædicti Capituli quælibet Provincia memorato Monasterio Montis Oliveti majoris viginti scuta monete Romanæ solvere teneatur, necnon tam pro expensis itineris, quam pro pecunia supradicto Monasterio subministranda, fiat repartitio pro rata super Monasteriis ejusdem Provincia.

§. 1. Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Eminentissimorum,

LXIX.

Dat. 28. Jan. 1707. An. 7.

Varie mutationes factæ super forma præd. electionis.

Decretum Congregationis.



& Reverendissimorum S. R. Eccl. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, attenta relatione Eminentissimi Card. Spinulæ prædictæ Congregationis Olivetanæ apud Sanctam Sedem Protectoris, referente Eminentissimo Gabriellio petitam confirmationem Oratori benigne concedendam censuit, prout præsentis Decreti vigore concedit: Constitutionibus Apostolicis, & Ordinibus, cæterisque contrariis non obstantibus. Romæ 27. Novemb. 1705. - G. Card. Carpineus. - I. N. Grimaldus Secretar.

Preces Procuratoris Gen.

§. 2. Cum autem, sicut dictus Abbas Justinus Procurator Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Abbati Justino Procuratori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus; Salva tamen semper in præmissis auctoritate prædictæ Congregationis Cardinalium.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis Montis Oliveti, & Monasteriorum hujusmodi, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII. Januar. MDCCVII. Pontificatus nostri anno Septimo.

LXX.

Confirmatur Decretum Congregationis particularis, quo declaratur, non esse locum peticæ divisioni Congr. Presbyterorum Missionis, & servandas esse Constitutiones.

Const. ed. 1703. Jul. 9. P. 3. concessum fuit quoddam Jus primo Assistenti. Et Const. ed. 1704. Sept. 9. P. 4. declarata fuere Constitutiones. At Benedictus XIII. Const. ed. 1717. Jul. 15. P. 4. agit de ejectione Assistentis.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Nuper a Congregatione nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. Eccl. Cardinalibus a Nobis specialiter deputata emanavit in Causa Romana, seu Galliarum præten- sæ divisionis inter dilectos filios modernum Superiorem Generalem Congregationis Missionis ex una, & Presbyteros Sæculares Italiæ ejusdem Congregationis Missionis ex altera partibus ver- tente Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: In Causa Romana, seu Galliarum præten- sæ divisionis inter D. Superiorem Generalem Congregationis Missionis ex una, & DD. Mis- sionarios Italiæ partibus ex altera: Sac. Congre- gatio Eminentissimorum, & Reverendissimor. DD. S. R. Eccl. Cardinalium Carpinei, Mare- scotti, Panciatici, Spadæ, & Cafoni per San- ctissimum D. N. specialiter deputata, partibus ipsis informantibus, reque mature discussa, censuit, ac declaravit, non esse locum Divi- sioni, & servandas Constitutiones, & ad men- tem, quæ quidem est, quod Superior Generalis utatur consilio, & opera Assistentis Italiæ in omnibus negotiis Congregationis, quemadmo- dum utitur consilio, & opera aliorum Assisten- tium, quodque illum admittat, & recineat una cum aliis in Domo suæ Residentiæ, & cæteros subditos amanter, & charitative tractet Romæ 4. Octobris 1706. - G. Card. Carpineus. - Fr. Archiepiscopus Nicenus Secretar.

Decretum præd. quod faret Assistenti Italiæ.

§. 1. Cum autem sicut dictus Superior Generalis Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Superiori Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, il- lique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robor adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet interve- nerint, supplemus.

Preces Super- rioris Gen.

§. 2. Decernentes easdem præsentibus literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præ- missis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irri- tum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Confirmatio relati Decreti.

Clausulæ.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Consti- tutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, dictæ Congregationis Missionis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, il- lorum tenores præsentibus pro plene, & sufficien- ter expressis, & ad verbum insertis habentes, il- lis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, &

expref-



expresse derogamus, caterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die II. Aprilis MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

LXXI.

Conceditur Presbyteris Congregationis Piorum Operariorum facultas celebrandi Missam una ante Auroram, & post meridiem hora.

*Const. ed. 1710. Jan. 9. P. 10. conceditur approbata confessionis iter agentibus facultas excipiendi confessiones absque facultate Ordinarii Loci.*

Dat. 10. Maji  
1707. An. 7.

CLEMENS PAPA XI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Exordium.

**S**olicitudo Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholicæ regimini divina dispositione præsidemus, Nos admonet, ut Sacris ejusdem Ecclesiæ Ministris pro gregis Domini salute laudabiliter laborantibus ea libenter concedamus, per quæ eorum ministerium ad animarum salutem, & spirituales fidelium consolationem uberiori cum fructu benedicente Dom. valeant adimplere.

§. 1. Volentes itaque dilectis filiis Presbyteris Sæcularibus Congregationis Piorum Operariorum nuncupatorum gratiam facere specialem, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem modernis, & pro tempore existentibus Presbyteris Congregationis prædictæ ubique existentibus, ut ipsi perpetuis futuris temporibus, tam in eorum, quam in aliis Ecclesiis Civitatum, Terrarum, & Locorum in quibus juxta laudabile eorum Institutum Sacras Missiones de Ordinariis respective locorum licentia exercebunt, per horæ spatium ante Auroram, & post meridiem, Missas celebrare, libere, & licite possint, & valeant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus, & indulgemus.

§. 2. Non obstantibus præmissis, a Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut Presbyteri prædicti hujusmodi Indulto celebrandi ante diem parce utantur, quia cum in Altaris Ministerio imoletur Dominus noster Jesus Christus Dei filius, qui candor est lucis æternæ, congruit non in noctis tenebris fieri, sed in luce, utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die X. Maji MDCCVII. Pontificatus nostri anno Septimo.

LXXII.

Confirmatur Decretum Congregationis Episcoporum, & Regularium quo revocantur facultates concessæ Fratribus Carmelitis Maficis Provinciæ Portugalliæ manendi extra Cœnobia.

*Inn. XII. Const. ed. 1696., Feb. 11. P. 5. confirmata fuerit quadam decreta pro d. Provincia. Et hujus Pontificis Const. ed. 1717., Feb. 22. P. 17. prohibetur. ne Superiores concedant licentiam canendi in alienis Ecclesiis.*

CLEMENS PAPA XI.

*Ad futuram rei memoriam.*

**N**uper pro parte dilectorum filiorum Prioris Provincialis, & Definitorii Provincialis Provinciæ Portugalliæ Ordinis Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod licet per Concilium Tridentinum *Sess. 28. Cap. 4.* prohibeatur expresse, ne quis Regularis sine sui Superioris licentia prædicationis, vel Lectoris, aut cujusvis pii operis prætextu subjiciat se obsequio alicujus Prælati, Principis, vel Universitatis, vel Communitatis, aut alterius cujuscumque personæ, seu loci; nihilominus in Regno Portugalliæ irrepserat abusus Regulari observantiæ præjudicialis, ac Populis illarum partium scandalum præbens, eo quia Episcopi earundem partium in vim Indulgentiarum per nostram, & Sedis Apostolicæ in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis Nuncium concessorum nonnullos Religiosos Maficæ peritos pro eorum Ecclesiarum servicio è propriis Conventibus absque Superiorum Regularium ejusdem Provinciæ licentia educebant, ac propterea pro parte dictorum Exponentium memoratæ Cardinalium Congregationi supplicato ut præmissis occurrendo, omnibus, & singulis Religiosis prædictæ Provinciæ extra eorum Conventus servitio cujuslibet simplicis Ecclesiæ addictis, & sine Superiorum suorum licentia degentibus, ut ad ipsorum respective Conventus redirent præcipere, quodque Superiores prædicti illos ad id quocumque Indulto minime obstante, compellere possent, decernere, nec non pro tempore existentium Nuncio mandare, ne hujusmodi Indulta, nisi legitimis de causis, & audito Superiore Religiosi, qui ab Episcopis pro eorum servicio postulat concederet, aliasque in præmissis juxta memorati Concilii dispositionem providere dignaretur; Emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet. *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, ad quam Sanctiſſimus Dominus noster supplicem hunc libellum remisit, attenta relatione Patris Procuratoris Generalis Ordinis, censuit committendum, prout præsentis Decreti vigore committit Eminentiſſimo Nuncio Apostolico in Lusitania residenti, ut revocet quascumque licentias, & curet Regulares redire omnino ad eorum Conventus. Romæ 29. Julii 1707. - G. Cardinalis Carpineus. F. A. Niceus Secretarius.*

§. 1. Cum autem, sicut dicti exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent. Nos ipsorum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinsertum, auctori-

Dat. 31. Aug.  
1707. An. 7.

Causa sequentis Decreti.

Decretum Congregationis, quo injungitur Nuncio ut revocet licentias omnes.

Preces Definitorii Provincialis.



1707.  
Confirmatio  
relati De-  
creti.

Clausula.

tate Apostolica, tenore presentium confirma-  
mus, & approbamus, illique inviolabilis Apo-  
stolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen sem-  
per in præmissis auctoritate memoratæ Congre-  
gationis Cardinalium.

§. 2. Decernentes easdem presentes literas  
semper firmas, validas, & efficaces existere, &  
fore, suosque plenarios, & integros effectus for-  
tiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, &  
pro tempore spectabit, inviolabiliter observari:  
sicque in præmissis per quoscumque Judices Or-  
dinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii  
Apostolici Auditores judicari, & definiri debe-  
re; ac irritum, & inane, si secus super his a  
quoquam quavis auctoritate scienter, vel igno-  
rante contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, &  
Ordinationibus Apostolicis, nec non Provinciæ,  
& Ordinis prædictorum, etiam juramento, con-  
firmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia  
roboratis, Statutis, & Consuetudinibus; privile-  
giis quoque, indultis, & literis Apostolicis in  
contrarium præmissorum quomodolibet concessis,  
& confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus,  
& singulis, illorum tenores præsentibus pro plene,  
& sufficienter expressis, ac ad verbum inser-  
tis habentes, illis alias in suo robore perman-  
suris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat  
specialiter, & expresse derogamus, ceterisque  
contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Major-  
rem sub Annulo Piscatoris die XXXI. Augusti  
MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

LXXIII.

Conceditur Indulgentia plenaria perpetua pro  
Ecclesiis Ord. S. Pauli Primi Eremitæ in ejus  
die festo.

*Inn. XI. Const. ed. 1676., Nov. 27. P. 1. con-  
firmata fuere quadam statuta pro Eremitis in Re-  
gno Portugallia.*

Dat. 1. Oct.  
1707. An. 7.

C L E M E N S P A P A X I .

*Universis Christianis fidelibus presentes literas in-  
specturis salutem, & Apostolicam  
benedictionem.*

Concesso  
præd. In-  
dulg.

**A**D augendam fidelium Religionem, & Ani-  
marum salutem cælestibus Ecclesiæ Thesauris  
pia charitate intenti omnibus utriusque sexus  
Christianis fidelibus vere pœnitentibus, & confessis,  
ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex  
Ecclesiis Fratrum Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ  
ubique existen. die festo ejusdem S. Pauli Pri-  
mi Eremitæ a primis Vesperis usque ad occasum  
Solis diei hujusmodi singulis annis devoto visita-  
verint, & ibi pro Christianorum Principum con-  
cordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ec-  
clesiæ exaltatione pias ad Deum preces effude-  
rint, Plenariam omnium peccatorum suorum In-  
dulgentiam, & remissionem misericorditer in Do-  
mino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris  
temporibus valituris.

Clausula.

§. 1. Volumus autem, ut earundem præ-  
sentium literarum transumptis, seu exemplis  
etiam impressis manu alicujus Notarii publici  
subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica di-  
gnitate constitutæ munitis eadem prorsus fides  
ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus  
haberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Major-  
rem sub Annulo Piscatoris die prima Octobris  
MDCCVII. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Confirmatur Decretum Capituli Gen. Fratrum  
Recollec. Discalc. Ord. S. Augustini Congre-  
gationis Hispaniæ de casu, quo decederet Vi-  
carius Generalis d. Congregationis.

*Const. ed. 1704. Feb. 13. P. 4. declarata fuere  
privilegia Provincialium absolutorum. Et Bened.  
XIII. Const. ed. 1630. Feb. 14. P. 5. reduci-  
tur alternativa pro electione Vicarii Generalis.*

C L E M E N S P A P A X I .

*Ad futuram rei memoriam.*

**E**Xponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius mo-  
dernus Procurator Generalis Fratrum Eremitarum  
Resolutorum Discalceatorum nuncupatorum  
Congregationis Hispaniæ Ordinis Sancti  
Augustini, quod in Capitulo Generali dictæ  
Congregationis in Oppido Civitate nuncupat. Borgia  
in Regno Aragoniæ die 20. Maji 1706. celebra-  
to, inter alia duæ sequentes Constitutiones pag.  
171. editæ fuerunt, videlicet, quod Magistris Pri-  
mariis Novitiorum trium Domorum Regularium,  
nempe Matritensis, Cæsaraugustan., & Hispanen.  
attentis eorum laboribus jus ferendi suffragium,  
sive votum in Capitulis Provincialibus suarum Pro-  
vinciarum competat, ea tamen lege, ut dicti Ma-  
gistri Novitiorum ab immediata Priorum jurisdic-  
tione exempti minime sint, & in omnibus, &  
per omnia iidem Prioribus subiecti remaneant,  
quemadmodum alii Religiosi subditi immediate  
illis subiecti reperiuntur, & quod in posterum ii  
Religiosi, qui Priorum alicujus Domus, sive ma-  
gni Conventus, sive Diffinitorii Provinciarum,  
seu Lectoris Sacræ Theologiæ muneribus functi  
fuerint in Magistris Novitiorum eligantur; Ac in-  
super in prædictis Constitutionibus fol. 173. sta-  
tutum fuit, quod decedente Vicario Generali  
prædictæ Congregationis sive naturaliter, sive ci-  
vilitate in ejus Gubernio pro tempore existens  
Prior Provincialis Provinciæ, cujus est filius usque  
ad complementum sexennii succedat, ad hoc, ut  
omnes Provinciæ Dignitatis honore per dictum  
sexennium æqualiter frui valeant, ac officia gene-  
ralia pariformiter non nisi post triennium cessent,  
necnon expensæ occasione Capitulorum facien-  
dæ evitentur, casu vero quo eundem Priorem  
Provinciæ in prædicti Vicarii Generalis officio  
succedere contingat, Officium Prioris Provincia-  
lis hujusmodi vacet, & id, quod in Constitutio-  
nibus super præcedentia Rectoris Provincialis dis-  
positum reperitur adimpleatur.

§. 1. Cum autem, sicut eadem expositio sub-  
jungebat, Capitulum Generale prædictum, con-  
firmationem Decretorum, seu Statutorum hujus-  
modi pro firmiori illorum subsistentia, & observa-  
tione ab hac Sancta Sede imperari mandaverit:  
Nobis propterea præfatus Procurator Generalis  
tam suo, quam dictæ Congregationis nomine hu-  
militate supplicari fecit, ut in præmissis opportu-  
ne providere, & ut infra indulgere de benignitate  
Apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum Procuratorem Gene-  
ralem specialibus favoribus, & gratis prosequi  
volentes, & a quibusvis excommunicationis,  
suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis  
sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab ho-  
mine quavis occasione, vel causa latis, si qui-  
bus quomodolibet innodatus existit ad effectum  
præsentium dumtaxat consequendum harum se-  
rie absolventes, & absolutum fore censentes,  
hujusmodi supplicationibus inclinati, de Vene-  
rabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardina-  
lium negotiis, & consultationibus Episcoporum,  
& Regularium præpositorum, qui attenta rela-  
tione dilecti Filii nostri Josephi Renati ejusdem  
S. R. E. Cardinalis Imperialis nuncupat. dicti Or-

LXXIV.

Dat. 10. Febr.  
1708. An. 8.

A Capitu-  
lo Gen. d.  
Congrega-  
tionis 1706.  
edita fuerunt  
duo inle-  
quentia De-  
creta.

1.  
De Magi-  
stris Novi-  
tiorum.

2.  
De casu,  
quo vacaret  
Vicarius  
Gen.

Preces Congre-  
gationis  
pro eorum  
confirmatio-  
ne.